



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

Exaltatio S. Crucis. 14. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

13. Sept.  
es infi-  
bi, qui  
non di-  
t? Vide  
atema

ris.  
arentes  
artinus

gaven-  
candi-  
. II ob-  
ui ani-  
nimum  
ro chri-  
ILIVS  
imirum  
expian-  
judice  
in mare,  
vet non  
s. Mox  
cit, hor-  
osculus.  
à à suis  
atus est.  
edditæ-  
promis-  
ersuase-  
lum est  
à morte  
, cuius  
ulti-

14. Sept. VITÆ SANCTORVM. 449  
ultima moribundi ad astantes illa vox perhibetur,  
cogitarent, quas gererent animas, pretioso, ah! nimium  
lytro, Christi sanguine emptas esse. O juventus Par-  
thenia, etiam tu animo hæc volveres! Tantillo  
animas non venderes. Ex Surio.

Quomodo redamabis, anima, vitæ gratuum  
largitorem, largissimum administratorem, pium con-  
platorem, solitum gubernatorem, copiosum redempto-  
rem, aeternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem?  
S.Bern. op. de Char.c.5.

## EXALTATIO S. CRUCIS.

14. Septembris.

SI minùs bellare feliciter, certè prædari novit  
Cosrhoas, qui cùm captam toties Hierosolymam ipse etiam cepisset, prædam nimium quan-  
tum magnam Crucem Servatoris in Persidem  
asportavit. Doluit Christianus Imp. Heraclius spo-  
lia hæc Christianis detracta esse, & cælo auctore  
armis commune omnibus Christianis dedecus  
aggressus abolere, ternas copias Cosrhoas toti-  
demque Duces felici Marte devicit, fortissimè  
Christianis urypote pro signis suis dimicantibus.  
Cosrhoas dum fugâ Tigrim trajicit, socium re-  
gni filium minorem Mardesam sibi adsciscit. Id  
maximus natu Syroës impatienter ferens gemino  
parricidio & fratrem & parentem sustulit, pactus  
que regnum cum Heraclio pro cruce est stultis-  
simus mercator. Hanc porrò Heraclius cùm im-  
peratorio habitu fulgens eò ferre vellet, quò pri-  
mò Servator tulerat, nec tamen, occultâ vi gra-  
dum morante, progredi jam posset, monuit Præ-  
fus Zacharias fastum ponere & aurum nimis ani-

mo

mo onerosum ; nescire crucem purpuram , nisi quæ de Christi sanguine ruberet , sed neque coronam nosse , quam spinæ non ornarent . Aliter ergo triumphandum sibi esse intelligens Heraclius , nudus pedes & plebejam togam indutus facile jam pedem promovit , & sublimem crucem loco suo & honori restituit . Hæc EXALTATÆ CRVCIS festa initia ajunt . Nego ego , & cum bonâ pace Heraclii , ea Christo primitus adscribo . Ex Brev . & Baron .

*Intuere ne mortiferam crucem efficias , in quâ facias Filium Dei amaris doloribus interire : superbia superius , inferius Luxuria ; à dextris prosperatio iniquitatis , à sinistris adversitatis desperatio , spinas , clavos & lanceam Filio Virginis representant . S.Pet.Dam. ser.1.de Exaltat.S.Crucis.*

S. AICHARDUS ABBAS . 15. Septembri.

**I**ngens duellum matrem inter & patrem felicissimè AICHARDVS sustulit . Dum enim hic militia , illa Deo devotum vellet filium , hic pulchritudinis arbiter , ut ex æquo rem componeret , utrumque præstítit , & ad militiam abiit , sed religiosam & Deo sacram . In hâc cùm egregiè diu adversus Orcum depugnasset , & in fundo paterno victoriæ VIRGINI ædem , hoc est , propugnaculum sibi exædificasset , Dux demum nongentis monachis datus est . Inter fortia ejus facta memorant infagam actum non semel hominum hostem , sive crucis telo , cum arbore dejectâ obruere Christi milites vellet ; sive aquâ lustrali , cùm hâc omnibus suorum cubiculis exegit . Post multas maximisque pugnas beatam vacationem tandem prouis à Deo petiit . Annuit hic & Angelum bonum misit .